3

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

Parca et ſimplici Medicina,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. JOANNIS GOWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *conſenſu,*

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS CLAYTON, VIRGINIENSIS.

Homo naturae miniſter et interpres, tantum facit et intelligit, quantum de ordine naturae, opere vel mente obſervaverit. BACON.

Medicos plus interdum quiete, quam movendo atque augendo perficere. TIT. LIV.

Ad diem 19 Maii, hora quarta poſt meridiem.

EDINBURGI:

Apud HAMILTON, BALFOUR, & NEILL,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
M,DCC,LVIII.

JOANNI CLAYTON,

ARMIGERO,

PATRI OPTIMO,

QUI IN STUDIIS RITE INSTITUENDIS,

NULLIS PEPERCIT SUMPTIBUS;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

JURE DEBITAS,

D. D. C. Q.

THOMAS CLAYTON.

Pag. 9. lin. 9. *lege* moderor
P. 13. l. 21. *lege* tere
P. 17. l. 23. *lege* et fi

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

Parca et ſimplici Medicina, &c.

FUIT quondam tempus, cum in agris paſſim homines beſtiarum more vagabantur, et ſibi victu ferino, et quem terra ſponte ſua tulit, vitam propagabant. Tunc et morbi et morborum nomina vix innotuere; hominibus vero diſperſis in ſocietatem vitae convocatis, cito irrepſere luxuria et intemperantia. Priſtinâ morum et victus ſimplicitate neglectâ, hinc morborum frequentia, ſemotique prius tarda neceſſitas lethi corripuit gradum, inde medicinae utilitas. Quum igitur tot morbis genus humanum quotidie ſit obnoxium, quid praeſtantius, quid utilius hac arte quae homines ſanos et facere et ſervare ſola poſſit? Sed ſecundum VERULAMIUM, "medicamento-"rum varietas ignorantiae filia eſt, neque multa

" fercula tam multos fecere morbos, quam multa
" medicamenta paucas curas*.

Mihi hoc et alia ad eandem rem pertinentia, in operibus ejus, attentius legenti ſucurrit cogitata quaedam de Medicina parca et ſimplici, in ordinem digerere tum ad meam, tum ad aliorum forſan utilitatem, quae hic ſumma cum reverentia ſubjiciam obſecutus legibus hujus Academiae, quae ſpecimen quoddam ingenii ab omnibus honores medicinae ambientibus jure poſtulat. Multa habemus volumina de arte ſanitatis tuendae conſcripta. Multi et Medici et Philoſophi ſeſe in hoc campo exercuerunt; et tamen, quod notatu dignum eſt, qui ad ſummam pervenerunt ſenectutem et optima uſi ſunt valetudine, hi nulla alia tenebant precepta niſi quae natura unicuique dedit, et quae infimae etiam ſortis hominibus ſemper patent. Quod HIPPOCRATES † paucis eleganter comprehendit verbis: " Sanitatis tuendae ſtudium eſt comeſſe ad frugalitatem, et ſedulo laborare." Neque haec praecepta etſi bina tantum, nec ulla quidem ad tuendam ſanitatem neceſſaria eſſe voluit CELSUS: " Sanus, ait, " homo

* Vid. Verulam. hiſt. mort. et vitae.
† Hippoc. Epid. l. 6. §. 4.

" homo qui et bene valet et ſuae ſpontis eſt, nullis " ſe debet obligare legibus, ac neque medico ne- " que jatrolipta eget: hunc oportet varium ha- " bere vitae genus; modo ruri eſſe, modo in " urbe†, &c." Nempe ut ſoluti legibus vario hujuſmodi vivendi genere homines aſſueti ſint viciſſitudinibus illis quibus officia vitae neceſſario illos exponunt, et quae inſuetis tantum moleſta ſunt. Ex auctoritate igitur talium virorum facile dixerim, bene valentibus non opus eſt medico, et certius adhuc non opus eſt medicamentis, in quod etiam apprime collimat nunquam ſatis laudati VERULAMII conſilium, quod iis dedit qui nunquam non timidi omnem ſalutis ſpem in medicamentis ponunt; " Medicationi ſi nimium aſſueſ- " cas, detrahit de viribus et efficacia ejus quando " morbus advenerit.‡" Vel ut eleganter admodum dixerit CELSUS, " Cavendum ne in ſecunda va- " letudine adverſae praeſidia conſumantur."

Medicamenta igitur non modo ſanis non proſunt, ſed etiam in morbis aliquando obſunt, et ſaepiſſimè nequaquam neceſſaria ſunt; ſemper pro axiomate medico

† Vid. Celſ. lib. I. cap. I.
‡ Vid. Verul. ſermon. fidel.

medico habitum eſt, Naturam morborum medicatricem eſſe. Et ex ipſa quidem ratione patet, corporis humani fabricam, ab admirando ejus artifice, ita eſſe conſtructam, ut non tantum ſuis quodammodo erroribus reſiſtere, ſed etiam labem inductam utcunque corrigere poſſit. In alimentis diſcernendis, provida Natura nobis ſenſum olfaciendi conceſſit, ut, ſcilicet, quae conveniunt, vel quae nobis nocent, dignoſcamus; et hinc fit, quod saepiùs ignotas alimentorum qualitates exploramus, ne temerè, ſummo cum periculo, vitae noxia devoremus. Porrò, lingua propriis organis ſive nervis inſtruitur, per quos victum ſalubrem et nutrientem, a pravis et ingratis ferculis, diſtinguimus, ne indifferenter cibaria quaevis aſſumeremus, et venenum ſaepius, loco alimenti, ad noſtrum interitum, ingereremus. Ventriculus ita conſtituitur, ut plerumque evomat et ejiciat quodcunque nocere poteſt. Inteſtina materiam acrem, in cavitates ſuas decidentem, amovere ſemper parata ſunt. Si quid demum corpori inimicum in vaſa ſanguinea recipitur, multae adhuc reſtant viae per quas expelli poſſit, ſcilicet, per renes, cutem, &c. quod ſi non fieret, ſtatim febris inducitur, quâ omnia corporis vaſa excretoria aperiuntur, et ſecretiones

magnoperè

magnoperè augentur, quibus materia peccans, quâdam viâ in hanc rem paratâ, facilius eliminari posſit. Simile quiddam accidit a materia quavis irritante, quoties ab ea corporis tegumenta penetrentur: ſtatim enim oritur inflammatio, et deinceps ſequitur partis ſuppuratio, ad cauſam irritantem expellendam. Vulnerum ſanatio, calli ad oſſa fracta generatio, omniaque quae ad curationem horum efficiendam tendunt, a Natura ſola provenire jam inveniuntur.

Haec vis quae in oeconomia animali adeo latè patet, a Medicis vocatur *Natura*; et praecipua cauſa habenda eſt, quae curationem in multis malis, praeſertim febrilibus, producit. Nihil itaque arte agendum eſſe, invitâ Naturâ; nihil a Medico tentandum eſſe quod operationibus ejus repugnet: hocque ex clariſſimorum Medicorum, tum antiquorum tum recentiorum experientiâ et uſu, plenius illuſtrare conabor.

Hippocrates, qui meritò medicinae Parens habetur, ſemper, Naturâ duce, progreſſus eſt, et huic, in morbis acutis curandis, primas ſemper detulit partes, operam ſuam ſolùm impendens, conatibus

tibus ejus vel cohibendis vel regendis vel adjuvandis. Sic, inter primas indicationes, ſymptomata mitigare, et, adjuvante Naturâ, materiam febrilem cauſam morbi, poſt debitam concoctionem, expellere nitebatur. Ad febris vehementiam coercendam, ideo ſanguinem emitti et potiones diluentes initio dari juſſit; quia febrem tantùm coercendo, materiam morboſam concoctam eſſe, expertus fuerat: vel hoc clyſmatibus effecit, cujus multa in epidemiorum libris exempla ſuperſunt. Nimis magnam etiam ſymptomatum vim lenire ſtuduit diligenter incumbendo in victûs regimen, quem ſemper, pro aegrorum conditionibus, variavit, ſolicitus ne inopia convenientis cibi aegroti ſub morbo labaſcerent, vel nimia copia febris increſceret. Haec ſub initiis fecit, per decurſum Naturae ipſi, niſi deficienti et opera poſcenti morbum reliquit; per morborum initia, ſi quid videtur movendum, moveto; cùm verò vigent, praeſtat quieſcere*. Quandocunque verò morbus, alvi dejectione, urina, vel alia quavis evacuatione, ad finem vergebat, tales evacuationes ſemper promovére conatus eſt; quae enim ducere oportet quo Natura maximè vergit, eo ducito per loca convenientia. Haec igitur, ſi

* Vid. Aph. 29. l. 2.

ſi ad ventriculum repunt, per vomitum educere debet; cùm verò vergunt ad inferiora, per inferiorem excretionem *. Auctoris hujus ſcripta pervolventi patebit, hoc eum praeſertim ſpectâſſe, ne morbus poſt remiſſionem reverteretur; ut enim ille putabat, duobus modis terminantur morbi febriles, ſcilicet, vel reſolutione vel ſimplici concoctione: 1mo, Quando materia febrilis, vel in ſanum humorum ſtatum mutatur, vel inſenſibili quadam evacuatione eliminatur. 2do, Ubi materies morboſa critica evacuatione ejicitur, quae criſis tamen eſt vel perfecta vel imperfecta, ſcilicet, ubi materia vel prorſus vel partim amovetur; unica pars igitur materiae morboſae retenta eſt, morbum renovandi causâ: ſic, ut ipſe ait HIPPOCRATES, quae per morbos poſt judicationem intus relinquuntur †, morborum reverſiones facere conſueverunt. Jam vidimus quomodo HIPPOCRATES, in morbis acutis tractandis, Natura viam praemonſtrante, ſeſe geſſerit; et quod inde non tantum paucis, verum etiam ſimpliciſſimis remediis contentus fuit. In febribus quippe, aqua, melle, et aceto ſolis ferè uſus eſt; atque proinde tantam laudem

* Vid. Aph. 21. l. 1.
† Vid. Aph. 12. l. 2.

laudem et apud antiquos et recentiores merito assecutus est. Hactenus dicta de methodo Hippocratica sufficiant; qui penitius eam cognoscere velit, is fontem ipsum adeat, fastidire lacus et rivos ausus apertos.

Ad celeberrimum SYDENHAMUM, discipulum ejus, nunc convertamus, qui, tanta est ingeniorum magnorum similitudo, magistri vestigiis perpetuo institisse visus est; a natura certe, quam iisdem oculis videbat quibus HIPPOCRATES, omnes curationis indicationes mutuatus est. Sed ipsum breviter audiamus*. "Vero admodum simile est, "quod qui ad naturalia morborum phaenomena "oculos animumque accuratissimè maximeque di-"ligenter adverterit, in eliciendis curativis indi-"cationibus veris ac genuinis maxime pollere de-"beat: huic itaque me methodo totum tradidi, "satis securus quod si naturam sequerer ducem, "etiam avia terrarum peragrans loca nullius ante "trita solo, nusquam vel latum unguem a recto "tramite discederem. In morbis acutis totam "operam dedit, vel ut deficienti naturae succur-"reret, vel effraenem coerceret et in ordinem "redigeret."

* Vid. Syd. p. 6.

" redigeret." In ſanguinis detractione per initium febris, nihil aliud ſpectabat quam ut violentiores naturae commotiones cohibere poſſet: " Mihi ſo-" lenne eſt, ait, eam duntaxat ſanguinis quanti-" tatem detrahere, quantum conjicere liceat, quae " aegrum ab incommodis, quibus immodicam " cujuſdam commotionem obnoxiam eſſe diximus, " incolumem praeſtet. Deinceps vero rego ac " moderior phlebotomiam, prout motum illum, vel " efferari, vel langueſcere animadverto.*" Ob eandem cauſam, clyſmata etiam et potum cibumque refrigerantem et relaxantem adhibuit, ut febris nempe intra certos fines conſiſteret. In regulis denique quas de his et aliis rebus praeſcripſit, prae ſe ducem ſemper habuit HIPPOCRATEM; medicamenta purgantia commendabat eadem ratione motus qua HIPPOCRATES, ut naturae ſcilicet ſuccurreret, partem materiae morboſae quae eam opprimebat evacuando. Naturae operationibus modo ſalutaribus, et ad curationem tendentibus, raro vel nunquam ſe immiſcuit, " Natura enim," ut verbis ejus utar, †" ſibi commiſſa, negotium ſuum ſuo tem-" pore exſequitur, debitoque ordine materiam, ac

* Vid. eundem p. 54.
† Vid. Syden. p. 145.

" via tum ſecernit, tum etiam expellit, ut noſtra " ope noſtris artificiis, atque auxiliis, non indi- " geat." Hactenus comparationem, inter HIPPOCRATEM et SYDENHAMUM, qui convenientem naturae artem ſuam exercebant, de methodo tractandi mala febrilia inſtituimus, ut inde appareret, quod initio diximus, naturam eſſe praecipuam curationis cauſam, et morborum medicatricem; " medicus enim, naturae miniſter et interpres, " quicquid meditetur ut faciat, ſi naturae non ob- " temperat, natura non imperat. Origines namque " et cauſae morborum longè abſtractiores ſunt, " quam ut humanae mentis acies eo uſque pene- " trare poſſit, ſaepiuſque natura novum opus ex- " orditur, quando conatus noſtri deſiere." Haec BAGLIVIUS *. Multos alios auctores, haud mediocris famae, qui doctrinam Hippocraticam amplexi ſunt, adducere poſſim, ni ſupervacuum eſſet jam dicta dicere; et nemo dubitare poteſt quin illi, vel praeſtiterint vel defecerint, qui hanc methodum vel aemulati ſunt vel repudiarunt.

Si igitur ſub talium ducum vexillis militare velimus, medicamenta parce et caute adhibenda ſunt, praeſertim

* Vid. Bag. l. 1. c. 1.

praeſertim cum reputemus quam incerta ſit ars noſtra, tum quoad morbos, tum quoad medicamentorum effectus, ſeduloque cavendum eſt, ſi nihil boni, ne aliquid ſaltem a praeſcriptis noſtris ſit periculi. Eſt noſtrum quidem remedia adminiſtrare, eſt vero naturae ea rata efficere. Medicamenta porro parce et caute adhibenda ſunt ob incertas ipſorum vires medicatas. Habemus quidem libros bene multos de viribus medicamentorum conſcriptos, quibus tamen parum fidere poſſumus. Nec mirum, cum pro medicis expertis et longo uſu confirmatis, juniores et artis medicae adhuc rudes ſaepius de hac re ſcripſerint, qui virtutes haſce, quarum notitiam è ſuis obſervationibus et propria experientia haurire non potuere, nobis obtruſerunt, aliorum aeque imperitorum ſomnia compilando, et ſic remediorum proprietates nulla certa fide et parum accurate nobis traditae ſunt. In libris porro eorum qui res varias ex variis autoribus nullo feré judicio excerpſerunt, continentur fabulae vel de induſtria vel ignorantia compoſitae, quae medicos in uſu medicamentorum ſaepiſſimé fefellerunt. Duobus denique modis medicamentorum virtutes nobis explicantur, vel ut pro certis indicationibus adhibenda ſunt, vel ut huic vel illi

malo

malo inserviunt. Prima methodus utpote nimis generalis saepe fallit, ex gr. remedium si cephalicum audit, id omnibus morbis capitis, etsi a magna causarum varietate orientibus, conveniat necesse est. Idem dici potest de pectoralibus remediis, etsi medicamenta qualitatum diversarum, longeque inter se distantium, sub hoc nomine generali saepe comprehendantur. Altera methodus melior est, quâ ad morborum historiam propellimur; sed haec etiam fallit, nisi species morbi, quod raro fit, accurate definita sit, et simul tempus morbi in quo aptissimè adhiberi possit indicetur. Multi auctores nobis quidem tradiderunt remediorum virias quasi experimentis innixas et confirmatas, sed experientiae saepius fallaci vix fides habenda; nam de medicamentorum, quae promiscue per varias morbi vicissitudines exhibentur, viribus et effectu multo incertiores sumus quam dudum. Cum HIPPOCRATES observat "fallacem esse experientiam, judicium "vero difficile;" GALENUS in suo in hunc aphorismum commentario addit, "Difficilis haec res est, "et inventu rara, cum post multa remedia aegrotanti exhibita, quodnam ex iis in causa fuisse dicata, ut melius pejusve habeat aeger †." Porro non

† Vid. Gal. com. Aph. 1. Hip.

non ſolum medicamentorum varietas, ſed praeſcribendi modus nos decipit. "Dubia enim evadunt "experimenta therapeutica per magnas compoſi"tiones adornata, non tantum quod harum offici"nalium aeque ac magiſtralium dictarum, mag"mata ex ejuſmodi aliquando ſimplicibus conge"rantur, quorum pauciora forſan ſcopum feriant, "quinimo unum horum alterius, primarii etiam "viſi, virtutem obtundat, caſtret ac deſtinat. "Sicque confuſanearum ejuſmodi mixturarum et "longarum formularum uſus impedimento ex"iſtat, vires ſimplicium medicamentoſas accurati"us diſquirendi ac dignoſcendi*." In experimentis porro faciendis, id quod ſtatim diximus, non ſolum ſedulo cavendum eſt, ſed etiam ne quod opus eſt naturae, id medicamenti ullius viribus temere tribuamus. Ut res in exemplo lucem accipiat, a concretione in ductu communi quendam ictero laborantem fingamus. Si ductu ſe gradatim dilatante cauſa obſtruens in duodenum tranſiret, eo fore tempore quo medicamentum aliquod temere preſcriberetur; a quibuſdam parum cautis et nimium ſecuris medicamentum hocce in morbo illo curando quaſi peculiare, ad coelum uſque laudibus ferretur.

* Vid. Bohn. de exp. fall. 658.

ferretur. Idem pronunciandum esse puto de picis liquidae aqua, nuper adeo celebrata, et de medicamentis aliis laudatis quae omnium morborum remedia fore frustra promittunt. Quam minime catholicis hisce fidendum sit, satis testatur experientia sola veritatis indagatrix.

Porro non solum experimenta fallacia, sed opinionum commenta quae variis temporibus apud medicos recepta sunt, ad materiae medicae scientiam turbandam maximé valuerunt. Post enim commenta deleta vires medicamentorum ab iis deductae saepe retentae sunt; et rursus viribus quondam receptis cum opinionibus quae illas induxerant rejectis in contraria trahuntur medici, adeo ut pro contrariis omnino indicationibus, idem medicamentum saepe exhibeatur. Exemplo res fiet clarior. Olim putabatur sales alkalinos volatiles utpote a putredine productos ad putredinem inducendam multum valere, et medici in morbis putridis curandis sales illos cane et angue pejores fugiebant. Hodie vero sales illos putredinem arcere experimentis satis accuratis constat, et reverà jam in morbis putridis pro remedio antisceptico a quibusdam adhibentur.

hibentur. Conferantur de hac re ſcripta celeberrimorum virorum Huxhami et Pringle.

Ut tandem finem faciam, obſervare licet omnes fere medicos jam de medicina parca ſerio cogitaſſe. Materiam medicam, olim maxime luxuriantem, intra limites arctiores coercere et ad pauciora redigere, per centum annos mox elapſos conati ſunt medici fere omnes, ut ex Pharmacopoeiis eorum videre licet. Sed in hac re, collegio medicorum Londinenſium maxima debetur laus, quod ex catalogo ſimplicium noxia rejecerunt, inertia et incerta omittere, atque ſuperflua reſecare ubique curabant, adeo ut jam eorum quae retinentur numerus ad prioris catalogi dimidium fortè redactus ſit.

Hactenus de medicina parca diximus, jam de medicina ſimplici quaedam dicenda ſunt. Medicinae ſimplicitas vel compoſitionem vel praeparationem ſpectat. Quoad primum, eam ſumme neceſſariam eſſe multis argumentis oſtendere haud opus eſt, cum medici celebres tam multi eodem tempore quo catalogum ſimplicium minuere, ſimul medicamenta compoſita magis magiſque ſimplicia reddere, omni

ope

ope annisi sint. Primùm forte huic rei utilissimae operam dedit Colleg. Reg. Med. Edin. et in omnibus Pharmacopoeiae suae editionibus, rejectis incongruis et supervacaneis, formulas maxime concinnas et simpliciores quam unquam antea fuerunt, exhibere sategit. Tandem idem opus aggressi sunt Collegii Regii Londinensis medici egregii, et formulas compositorum fere omnium ad maximam simplicitatem redegerunt, exceptis tantum uno vel altero quibus antiquitas, et in omni fere aevo summa celebritas venerationem quandam conciliaverat, et integritatem formulae diu illibatam servaverat. Haecce veneratio autem reformationi quam aliàs utique moliti sunt Londinenses parum convenire videtur, et optimo certe jure ipsas illas formulas antiquas et diu veneratas, utpote nimis compositas et incongruas, exulare jusserunt medici Edinenses. "Quaedam denique ut observant, exulant quas "invexerat majorum superstitio aut credula facili-"tas, parcâ admodum antiquitati aut consuetudini "inveteratae reverentiâ adhibitâ. Venerandis "medicinae patribus constat sua laus: non ea laus "compositionis gratiae et elegantiae, sed labori-"bus majoris momenti debetur*." Singula Phar-

macopoeiarum

* Vid. Phar. Edin. in praefat.

macopoeiarum composita vitiosa hic perstringere dissertationis hujus limites non sinunt, nec opus est, cum auctoribus quos modo nominavimus freti, satis tuto concludere possumus; medicamenta valde composita omnino rejicienda esse; et hanc rem apte satis finire possumus verbis diserti in his rebus viri, Pharmacopoeiae reformatae auctoris, "Simplicitatem "nempe indicationis, paucitatem partium ingredi- "entium, elegantiam formae, vim denique totius "pretium medicamenti solum modo constituere "posse †."

Quoad praeparationis simplicitatem notandum, primo, quod natura dedit plantas medicatas plures quae tota substantia sua, ut videtur, agunt, et ne minimam sui partem amittere possunt, quin simul vim medicinalem perdant. Multae sola exsiccatione inertes omnino redduntur. Multarum partes volatiles per decoctionem, et etiam per infusionem tepidam in auras abiguntur. Plures menstruis quibuscunque partes medicatas vix cedunt, plures menstruis innocuis solutae parum valent, etsi a menstruis valentioribus solvantur adeo parce, tamen ut dosis soluti satis magna vix exhibere po-

 test,

† Vid. Phar. Pauper. p. 182.

test, quin simul solventis dosis nimis magna et noxia foret. Norunt bene medici practici quam difficile sit corticis Peruviani praeparatum quodvis obtinere, quod aeque cum cortice in substantia votis suis respondeat.

Sed chemia in medicinam introducta, non semper fausto eventu multum in his rebus auxilii spondebat, nec tamen ubique promissis stetit. Per destillationem quidem omnia tractare voluit, sed jam novimus plures plantas destillatione, nihil omnino virium suarum praebere. Quae aliquid reverá praebent, hoc in aqua multa diffusum parum adeo valet, ut nunc aquas destillatas, paucissimis forte exceptis, non nisi pro vehiculis, ut vocant, gratis forte et innocuis adhibent medici. Olea quidem destillata magis concentrata sunt, sed semper essentialia, i. e. vires plantarum integras possidentia, nequaquam deprehenduntur, et cum reverá essentialia forent, ob empyreuma sub destillatione vix evitandum, saepe aromatibus ipsis integris multo minus grata evadunt. Et utcunque parantur, plerumque adeo acres sunt, ut non nisi summa cautela adhiberi possunt. Neque in fixis plantarum partibus extrahendis multo feliciores fuerunt Chimici.

mici. Labores illi taedii pleniſſimi qui ſalibus plantarum eſſentialibus obtinendis impendi ſolent, jam fere inutiles videntur et prorſus negliguntur. Fruſtra etiam laborabant philoſophi illi per ignem, in incineratione variarum plantarum, cum unum idemque ſal fixum ex omnibus eliciatur, et tum purius et uſibus medicinae aptius ex tartaro quam ex quavis planta obtineri poſſit. Denique in extractis plantarum parandis non ſemper ritè collocatur Chemicorum opera; nam vel diſſipantur partes volatiles, vel quod fixum eſt in magma denſum, aqua et noſtris humoribus vix iterum ſolubile, cogitur. Ad tam parvum denique redeunt de vegetabilibus promiſſa Chemicorum, ut pauca ex vegetabilibus jam parantur medicamenta grata, commoda vel efficacia niſi per infuſionem ſimplicem, quam dudum bene noverant Galenici omnes.

Sed ipſi Chemici medicamentis ex vegetabilibus parum freti, mineralia et metallica praeſertim reſpexerunt, et ex unaquaque fere nihil minus quam panacaeam elicere ſponderunt. Parum vero tanta jactatione dignum effecerunt, et immenſa praeparatorum metallicorum copia quam nobis obtrudere volebant, nunc unanimi medicorum fere

omnium

omnium consensu multum imminuta est. Horum multa prorsus inertia inveniuntur, plura adhuc venenosa, adeo ut non sine summo periculo propinari possunt. Rejectis ideo plerisque, non nisi pauca ex hydrargyro scilicet, antimonio et ferro parato, jam in usu veniunt. Sed haec ut medicamenta evadant, parum omnino Chemici laboris requirunt. Hydrargyrus crudus, ut dicitur, melle vel viscido alio quovis tritus, medicamentum, ni fallor, aeque efficax, et magis tutum quam quodvis aliud ejus praeparatum praebet. In antimonio quidem tractando, multum certe desudarunt Chemici; sed, ni fallor, ut plurimum frustra; quaedam enim praeparata ejus multo labore parta, si non prorsus inertia, saltem dubiae omnino virtutis existunt. Quae valentia quodammodo videntur, duorum tantum generum sunt; unum nempe, in quibus pars antimonii regulina a parte sulphurea plus minus separata est, ut ab acido in ventriculo humano fere semper hospitante solvatur, et vires in corpus exerere possit; alterum in quibus eadem et sola medicata pars regulina cum acidis conjungatur, antequam in corpus humanum ingeritur. Ex priori genere praeparata cum necessario incerta sint, nunc parum vel saltem lenius agant; non vehementius, et non

sine

ſine periculo ſeſe exerunt ; quia vires eorum non tantum pendent a doſi qua ingeruntur, quantum a copia acidi in ventriculo iis affuſi, quae ſemper ignota et incerta eſt. Hujuſmodi igitur praeparata, utpote incerta et periculoſa, rejici, et illa alterius generis, utpote pro doſi qua ingeruntur operantia, ubique adhiberi debent : Sed haec omnino pauca ſunt. Antimonium enim acido, vitriolico vel nitroſo conjunctum, in corpus humanum vix agit, et cum acidis muriatico vel vegetabili tantum combinatum vi medicata pollet. Cum acido muriatico autem conjunctum antimonium, medicamentum ſumme cauſticum et externo uſui omnino deſtinandum praebet. Ex numeroſis igitur et laborioſis antimonii praeparatis reſtat forte ſolum antimonium cum acido vegetabili conjunctum ; quod tutò et certò ſatis exhiberi poteſt, et quod facillime per ſimplicem infuſionem paratur ; et jam adſunt medici celeberrimi qui nulli dubitant, quin ſolum vinum antimoniale omne id quod ullum aliud antimonii praeparatum efficere poſſit. De ferro denique in eundem finem notare ſufficiat, metallum ipſum limatum tantum et exhibitum eaſdem omnino et omnes ſimul vires proferre quas quodlibet ex eo arte Chemica paratum proferre ſolet. Acu-

te igitur jamdudum dixit BOHNIUS, "Martem "ſive per inebriationem cum aceto, ſive calcinàtio- "nem cum ſulphure, praeparatum, aut majore in- "duſtria confectum crocum, recte poſtponunt pe- "ritiores limaturae ferri magis homogeneae et ſub- "tiliori, utpote quae omnibus indicationibus evi- "dentius ſatisfacit*."

Sed ut tandem vela contraham, ex dictis ſpero jam patebit, medicinam plerumque parcam ubique ſimplicem eſſe debere. Cum enim natura ſaepe morbis medetur, haec ſuis viribus optimè inſtructa, ſuis opibus locuples, ſuo denique ingenio ſatis e-docta, noſtra ope, noſtris artificiis atque auxiliis parum indiget. Porro, cum medicamentorum vires tam ſaepe nobis lateant, cùm quae de his a ſcripto-ribus traduntur tam ſaepe falſa, plerumque infida ſint, iis certè cautè et parcè omnino utendum eſt. Cum porro compoſita ſaepe fallant, vix unquam ſimplicioribus praeſtent; cum denique provida na-tura medicamenta tuta et efficacia ubique ſponte tulerit. Dum ars plerumque ſpem noſtram fe-fellit, raro multum boni dedit; medicamenta ſim-plicia et naturalia compoſitis et artificioſis ſemper

praeferenda

* Vid. Boh. de experim. fallac.

praeferenda sunt. Diserte admodum olim monuit GALENUS: "Committuntur, inquit, quaedam peccata ab ipso aegroto; quaedam a medicis his admirandis, putantibus, nisi quis introgressus ad aegrum, deinde succingens se, vel cataplasmata imposuerit, vel perfuderit, vel clysterion ediderit, vel venam inciderit, vel cucurbitulas adjunxerit, vel confricuerit, vel nutriverit, aut hujusmodi aliud factitaverit, nihil ab ipso gestum esse artificiosum: hi enim quoties accedunt ad aegrum, toties peccant *."

* Vid. Galen. de diebus decretor. lib. 1.